FLAMINII RAII ORATIO. DE LAUDIBUS ANTONII ANGELII BARGÆI, EPISCOPI...

Flaminius Raius

101, 34

XXVII
RAII

1017·34

FLAMINII RAII
ORATIO.

DE LAVDIBVS ANTONII ANGELII BARGÆI, EPISCOPI MASSÆ, & Populoniæ,

AD PETRVM VICTORIVM.

FLORENTIÆ.
In Officina Georgij Mareſcoti.
1579.

PETRO VICTORIO
FLAMINIVS RAIVS
Salutem.

SVMMVS amor, ſummumq́ officium, quem Antonio Angelio Bargæo, Epiſcopo optimo, viroq́ ampliſsimo diligendo, colendoq́ ſemper vſus es, me nunc impulit, vt hanc oratiunculam meam, tenuem ſanè, atq; imbecillam, & nullo pacto dignam, cui tuum clariſsimum, ac glorioſiſsimum nomen inſcriberetur, muneri tibi mitterem: vt pote cui, qualiſqualis eſſet, nec gratam, nec iucundam futuram, non pertimeſcebamus. Neque verò tàm hebeti ingenio ſum, vt non intelligam minus factum eſſe me ad ipſius laudes in aſtra tollendas. Sed ità planè iudico, vt Deus, illaq́ beatæ mentes in cælum receptæ, & cum eo coniunctæ, quæ nullius præconio indigent, laudari ſe tamen à nobis, & patiuntur, & volunt, maximeq́ gaudent, cùm ſe purè coli, pureq́ celebrari ab hominibus vident. Quis enim vnquam eaſdem ſingillatim commemorare, nedum exornare valeat? Quantum autem dilıgas, ſemperq́ dilexeris Petrum ipſius fratrem, qui adhuc in comitatu noſtri Cardinalis florentiſsimus viuit, omnes puto norunt: cùm propter eius

bonitatem, tùm etiam propter incredibilem doctrinam, & eruditionem. Tu igitur, qui nobis vnus es pro centum millibus, hunc meum leuem laborem aqui, boniq; facies, & ſiquid in ipſa parum vel Latinè, vel ornatè, vel apte dictum fuerit, non horrebis eidem diligentiſſimas, doctiſſimasq; manus tuas admouere, & emendoſa, humiliq; correctam, nobilemq; reddere appingens aliquid noui, vitioſasq; partes potius ſanans, quàm exſecans. Quo nihil glorioſius, nihil antiquius, & nihil mihi optatius cadere poterit. Uale.

Prato Nonis Maiis CIↃ IↃ LXXIX.

FLAMINII RAII
ORATIO.

De Laudibus ANTONII ANGELII Bargæi, Epiſcopi Maſſæ, & Populoniæ.

DVRAM ſanè rem, & mehercule laborioſam (Auditores ornatiſſimi) aggrediuntur, qui de aliquo inſigni viro, claroq; ciue verba facere inſtituentes, conantur memoriam ipſius nominis cohoneſtare, in cęlumq; poenè ferre duriorem autem, ac laborioſiorem, qui egeat eloquentia, & quibus memoria deſit, quos vel elegantia, cultusq; orationis deſerat, minimeq; ſint apti ad illius egregias virtutes, laudesq; numerandas, ac dicendas. Quotus autem quiſque ſit, qui ſingulis conſectandis, quæ de Antonio Angelio, Epiſcopo optimo, omniq; laude apprimè digno glorioſiſſimè, & magnificentiſſimè dicerentur, demes non habeatur, ac ſtolidus? Tot enim, tantaq; ſunt, quæ de illo prędicari, vereq; prędicari poſſent, vt etiam vt eloquentiſſimus eſſem, maturius tempus, quàm res me deficeret. Vt autem nonnulla ſeligamus, quibus referendis ſupreſedere potuiſſemus, cùm nota, compertaq; ſint omnibus, ipſiusq; ab origine exordiamur inſtituti ſeruandi cauſa, conſuetudinisq; retinendę. editus Antonius eſt ex honeſta Angeliorum familia, quę his ingeniis, his honoribus, his laudibus ità eſſloreſcit quotidiè magis, vt ea nulla nobilior, nulla vetuſtior, nulla glorioſior inueniri poſſit, ſi nobilitas, ſi vetuſtas, ſi gloria virtute (vt eſt) metienda, conferenda, ac ponderanda ſit. Cui enim perſpecta non eſt claritas huius familiæ? nàm à melioribus etiam ſcriptoribus celebrata eſt, diuiniſq; laudibus ornata. Ex hac itaque, veluti ex equo Troiano, ingenioſi, nobileſq; viri exierunt, & exeunt; &, exituros non eſſe, deſpa

tandum

randum non eſt. Hęc artis medicæ longè omnium peritiſſimum, hæc (inquam) Michaelemangelum dedit, ac protulit. ecquem hominem Deum immortalem? quando illi parem, aut ſimilem vnquam reperiemus? Suſpexit eius ſingularem, incredibilemq́; virtutem Coſmus Medices Primus Mágnus Dux Etruriæ, intelligensq́; quanto ſibi auxilio ſemper fuerit ipſius ſtudium ſtuduit ſe gratum ergà illum oſtendere, ſummum omnium, qui vnquam fuerunt. Qui eximius amor ab illius eximia bonitate, eximiisq́; virtutibus proficiſcebatur, quas Coſmus non ſolùm ſemper amauit, verùm etiam (vt optimum, & ſapientem Principem decet) omni honore proſecutus eſt. In cuius interitu plorando, ac lugendo luctus, & lacrymæ teſtatæ ſunt ſummam beneuolentiá in eum, quam omnibus notiſſimam eſſe cupio. Quid ego de Petro ipſius fratre plura commemorem? qui certè ſolus adhuc ſuperſtes viuit, &, vt viuat, optandum eſt, cùm omnium Poetarum flos, decusq́; ſit: dignusq́, prætereà qui in conſeſſu noſtri Cardinalis gloria, honore, opibus floreat, vt olim floret. Sed de duobus his fratribus non amplius dicam, ne imminuam eorum laudes, quorum quidem virtus, ac ſplendor vniuerſo poenè orbi notus eſt. nàm ad reliqua feſtinat oratio. Numinibus igitur ſacris fauentibus ex tàm clara, illuſtriq́, familia natus eſt Antonius, quanuis ex humili, obſcuroq́; loco, ſi iuſta lance librentur illius dotes patriæ conditionibus, Quod tamen ei ſummę laudi fuit, cùm potius ſi patria, quám ipſa patriæ debere intelligatur. Valuit hic noſter circunfluens gloria vir acumine ingenij plurimum. Nam & Latinum, & Græcum ſermonem à pueritia abſorbuit, omneq́, genus politiorum doctrinarum degustauit. Ergo cùm tam pręclara indole floreret, vt nihil ſibi ocio literario dulcius exiſtimaret, ità puer nobilis inter æquales ferebatur, vt clarius explendeſceret, quàm generoſi condiſcipuli tráquillo animo conferre poſſent. Itaque incitabat omnes acri ſuo ſtudio. ſummisq́; ad ſummam progreſſibus factus clariſſimus Dux noſter, olim mortuus, de quo anteà mentio facta eſt, ſuos filios virtute excolendos, ac moribus ornandos tradere ſe illi minus addubitauit. Quanta verò conſtantia, firmitudineq́; animi fluctuantes illos motus, illosq́; turbulentos ęſtus ſemper ſedarit, qui in florentiorem ætatem irrumpere conſueſſent, difficile dictu eſt. in quod ſæpe vitium (libidinem dico) incidere nonnulli, qui cùm vitam ſuam optimè inſtituiſſent, hac tamen se macula contaminarunt, labeq́, turparunt, vt eam niſi mors eis ademerit, ac delerit. Voluptates autem tandiu exhauriebat, quandiu ſe in maximis, grauiſſimisq́; ſtudiis exercebat. Nàm & principum Philoſophorum ità percepta habuerat præcepta, vt his ad vitam potius agendam vteretur, non ad gloriolam oſtentandam abuteretur. Quid de Theologia omnium ſcientiarú matre, ac duce, quam toto pectore, toto animo, totaq́; mente amplexabatur? alloquar, an ſileam? Hinc illud graue iudicium manabat, quod ponebat in populis prę regendis, ac cuſtodiendis, caſtisq́; ab omni genere

ſcelerum conſeruandis. Hinc ille ſingularis amor ſcaturiebat, quem præſe
ferebat in bonis colendis, ſummiſq; officiis afficiendis. Hinc illa egregia
charitas oriebatur, quam oſtendebat in inopibus ope iuuandis, puelliſq; in
matrimonio collocandis, Deoq; Optimo Maximo dedicandis. Superua-
caneum videtur accuratius diſputare, fuſiuſq; enarrare copiam, vberta-
temque fructuum, qui ex magna ipſius vigilantia emanarint, affluxerint,
redundarint. Arbitror autem cunctis manifeſtum eſſe, nullum locum re-
periri, in quo eximia ſigna pietatis, eximiæ notæ amoris, eximiæ ſpecies ſin
ceritatis, eximia argumenta fidei ipſius non appareant, atque extent. Quę
profectò, cùm honoribus digna extraordinariis ſint, aliis commemoranda
relinquemus, ne, dùm illius laudum prędicandarum nimis cupidi eſſe vo-
lumus, metipſis inuidiſſe potius, quàm fauiſſe videamur. Qui, cùm cęte-
rarum politiſſimarum doctrinarum ſtudioſiſſimus eſset, attigit quoque poe
ticen, credimus, ne illius expers eſſet ſuauitatis, ac manſuetudinis. Cerne-
batur in hoc probo homine pietas vnquam ſilenda, ſpecimen ſapientię aſſi-
duè celebrandum, ſignificatio grauitatis, ciuiliſq; prudentiæ ad cælum iu-
ſtis laudibus efferenda in ſua Diœceſi perluſtranda, ſummaq; dignitate tra-
ctanda, vt omnes vno ore fatebantur ab immortali Deo hunc verè Ange-
lum ad ſalutem populorum demiſſum fuiſſe. Sed, vt de ipſius corporis bo-
nis aliquid ſtrictim attingam, vixit ille ſpatio quorundam annorum inte-
gris ſemper viribus valens, tantaq; proſperitate valetudinis vſus eſt, vt diu,
diuq; victurus conſeneſcens crederetur, ni ſuæ voluntati nimis, nimiſq; in-
dulſiſſet literis operam dans, in quibus vitam ſuam paulatim conſumſiſſe ſe
nunquam pœnituit. incitatiſſimo enim curſu ad illas percipiendas, hau-
riendaſq; prouehebatur in dies. Quòd autem ad facultates animi ſpectat,
cùm parcus ſiue cibi, ſiue ſomni eſſet, pudica ſemper domo vſus eſt, ſingu-
liſq; ad ſe adeuntibus, conſulentibuſq; patenti, patentiore verò viris ſum-
ma bonitate, ſummaq; doctrina excultis, quorum ſæpe numerus ingens il-
luc, tanquam in Palladium ſe recipiens vndique confluebat. In loquendo
autem miram neſcio quam ſagacitatem, perſpicientiamq; adhibebat. In au
ſcultando facilis, ac benignus extabat. In reſpondendo gratus, ac beneuo
lus erat. In decernendo lenis videbatur. In ſatisfaciendo, diſputandoque
diligens emicebat. Quod rogitabatur, relligioſè promittebat. Fidem ſer-
uabat. In conſiliis capiendis, dandiſq; prudentia prudentiorem, ſapientia
ſapientiorem, grauitatem grauiorem faciebat. In æquitate verò ſeruanda
in infortuniis, ac fęlicitatibus prorſus occalluerat. Quid de ſuauiſſimis mo
ribus dicam? Tanta nanque fuit humanitas huius viri, tanta comitas, tan
ta iucunditas, vt non facile eſſet intellectu, vtrum cum amici venerarentur,
an amarent, qui quoties loquebatur, toties Pietas, toties Innocentia, toties
Integritas loquebatur. Vereor (clariſſimi viri) ne, cùm illum celebrare ſtu
deam, videar omnia in homine perfectiſſimo fingendo poſuiſſe: quę tamen
de ipſo

de ipſo honorificentius, copioſiusq; celebraretur, quàm quomodò à me tenuitate ingenij, defectioneq; memoriæ celebrentur. ità vt dum viri imperfecti vitium ſubterfugimus, imperfectioris crimen horreamus. O virum glorioſum? natumq; nõ modò ad iuuãdos homines, ſed etiam ornãdos, ac tuẽdos? quo fato nobis tàm citò ſurreptus es? quibus doloribus oppreſſos tuos obitu tuo reliquiſti? quàs iàm atrocẽ, grauemq; plagam, quæ nuper te moriẽte inflicta eſt: non dicam ſanet, ſed leniat? num deflebimus? num ſuſpirabimus? num mœrebimus? Quantũ verò populus, qui in ſua Diœceſi continere tur, diligeret, amaret, coleret, (taceo ceteros alios, quibus ob oculos ferebatur) in põpa funeris comitantibus omnibus bonis, etiã ſui bonis, quam proximè patefactũ eſt. Qui, cum ſolicitudinum aculeos, & ſcrupulos occultare nec ſcirẽt, nec poſſent, ſic illum vita caſſum venerabundi miſerabiliter ſuſpiciebant, vt ab ipſius cadauere non diuellerentur. Dij boni, qui gemitus? qui luctus? quę lacrymæ? quæ lamentationes? gemebant optimũ mortuum. lugebãt vigilantiſſimum preceptũ. lacrymabant piiſſimũ ſublatum. lamentabãtur ſapientiſſimum extinctum. vt facilè cernas, cum tàm multa ſigna beneuolentiæ ab illis impertirentur, deſideriũ ſui magnum populo reliquiſſe. Verum ipſe neque mortuus eſt, neque moriturus eſt. Sed viuit, & viuet memoria ſeculorum omnium. Non enim intereunt fide, ſapientia, doctrinaq; inſignes homines, ſed ſummi quidem in gloria ſempiterna ſunt. Quòd autem ex hac turba, & colluuione diſceſſerit, & (vt ſanctis operibus ſuis pietate, fideq; dimetiendis auguramur) ad illud diuinatum animarum vnà cum Deo intimo amore coniunctarum Concilium, cœtumq; aduolauit, gaudendum eſt, & verè, ex animoq; gaudendum. Ibi enim ex mortali immortalis, ex humano diuinus, ex miſero beatus ſempiterno ſuo iamiam perfruitur inanes has cogitationes, ſpesq; fallaces noſtras negligens, & ſpernens. qui forſitan mihi ſuas laudes putè dicere molienti propitius adeſt, fauetq; : nec deſerit meas miſeras, ac luctuoſas preces.

D I X I.

Cum licentia Superiorum.

Z. 1017. 34

99 955943

MC